



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque
Ecclesiæ Præcepta**

Tamburini, Tommaso

Dilingæ, 1697

Caput XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40032

CAPUT XXI.

Lacrymabilis, accelerata.

1. **I**D quod pertinet ad qualitatem (lacrymabilis) explicatum est cum de dolore actum est suo loco.

Quod pertinet ad Confessionem (acceleratam) dico non esse obligationem statim confugiendi ad Confessionem, ut primùm tu mortaliter peccasti: neque enim novum peccatum committit, qui suam Confessionem differt ad tempus obligationis Ecclesie, vel sumptionis Eucharistie, vel periculi mortis: sed quia est salubre consilium, statim sine mora revertendi ad DEI amicitiam, ideo acceleratio hæc maximè commendatur.

CAPUT XXII.

Fortis, & accusans, ubi de occasione proxima, & de recidivo.

1. **I**llud (Fortis) ostendit, pœnitentem debere fateri difficultates omnes, ut peccata confiteatur, ut occasiones proximas deserat, ut à recidivo se compescat; circa quæ lege duo documenta, quæ infra dabo cap. 26. num. 11. & 12.

Denique illud (Accusans) ostendit, pœnitentem, utpotè reum coram Domino, accusare sua peccata debere cum sinceritate, non autem excusare: dico (cum sinceritate) æquè enim quis erraret, si se supra quàm commisit, accusaret, id quod iterum me monuisse, recordor.

CAPUT XXIII.

Sit parère paratus; ubi, an Pœnitentiam à Confessario impostam, vel imponendam Pœnitens subire debeat?

1. **P**œnitens debet esse paratus, es facere, quæ prudens Confessarius ipsi peragenda imponit; imponere autem solet. Primò aliqua in medicinam v. gr. ne in domum talis puellæ ingrediatur: ut jejundet ad edomandam concupiscentiam, atque hæc appellatur pœnitentia medicinalis: Secundò, explicare solet obligationem, quam habet pœnitens v. g. ad restituendum, ad officium suum exequendum, & hæc vocatur pœnitentia ex se obligatoria: Tertio, imponere solet aliqua bona opera in satisfactionem pœnæ ob suas culpas debita, ut largiri eleemosynam, orare, se flagellare, jejunare &c. & hæc propriè appellatur satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: de his igitur habet sequentia,

2. Posito, quòd Confessarius tibi pœnitentiam imponit, tunc eam acceptare, & adimplere omninò in praxi debes: omittenda enim hæc potius speculativa illa quæstio; quàm practica, an in omni rigore possit illam pœnitens non acceptare, paratus eam in purgatorio solvere: lege de Lugo, Castropalaum, aliosque citatos à Verricelli de Missionibus tract. 9. quæst. 144. dub. 8. 3. §.

3. Quod si quæras, sub qua obligatione adimplenda sit? Respondeo: Medicinalem, & obligatoriam adimplen-

R 2

plen-